



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem  
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita  
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi  
Concionatoribus vsui esse poßit

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, M.DC.XVI.**

5 V. corpus Christi ascenderit super omnem creaturam spiritualem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

2. Præterea. Super omnes caelos non est aliquis locus, ut A probatur in primo de celo. Sed omne corpus oportet esse in loco. Ergo corpus Christi non ascendit super omnes caelos.

3. Præterea. Duo corpora non possunt esse in eodem loco. li. i. de 69. r. 2. Cum igitur non sit transitus de extremo in extremum, nisi per medium, videtur, quod Christus non potuisset ascendere super omnes caelos, nisi caelum divideretur, quod est impossibile.

4. Præterea. Act. 1. dicitur, quod nubes suscepit eum ob oculis eorum. Sed nubes non possunt elevari supra caelum, ergo Christus non ascendit super omnes caelos.

5. Præterea. Ibi credimus Christum in perpetuum mansurum, quo ascendit. Sed quod contra naturam est, non potest esse sempiternum: quia id quod est secundum naturam, est ut in pluribus, & ut frequentius. Cum ergo contra naturam sit corpus terreno, esse supra caelum, videtur, quod corpus Christi supra caelum non ascenderit.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 3. Ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia.

Respondeo dicendum, quod quanto aliqua corpora perfectius participant bonitatem diuinam, tanto sunt superiora corporali ordine, qui est ordo localis. Vnde videlicet, quod corpora, que sunt magis formalia, sunt naturaliter superiora (ut patet per Philosophum in quarto Phys. & in secundo de celo) per formam enim unumquodque corpus participat diuinam esse, ut patet in 1. Phy. Plus autem participat de Diuina bonitate corpus per gloriam, quam quodcumque corpus naturale per formam suam naturam. Et inter cetera corpora gloriosa manifestum est, quod corpus Christi maiori resurgit gloria: unde conuenientissimum est sibi, quod sit supra omnia corpora constitutum in alto. Et ideo super illud Ephes. 4. Ascendens in altum, dicit gloss. Loco, & dignitate.

li. i. de 8. l. 2.

Gloss. inter linear. ibid.

Ad primum ergo dicendum, quod sedes Dei dicitur esse in celo, non sicut in continente, sed magis sicut in contento. Vnde non oportet, aliquam partem caeli eo superiorem esse: sed ipsum esse super omnes caelos, sicut & in Psalmo 8. dicitur, Eleuata est magnificentia tua super caelos, Deus.

Ad secundum dicendum, quod locus habet rationem continentis. Vnde primum continens habet rationem primi locantis, quod est primum caelum. In tantum igitur corpora indigent esse in loco per se, in quantum indigent contineri a corpore caelesti. Corpora autem gloriosa, & maxime corpus Christi, non indiget tali continentia. Quia nihil recipit a corporibus caelestibus, sed a Deo mediante anima. Vnde nihil prohibet corpus Christi esse extra totam continentiam caelestium corporum, & non esse in loco continente: nec tamen oportet, quod extra caelum sit vacuum. Quia non est ibi locus: nec est ibi aliqua potentia susceptiua alicuius corporis, sed potentia illuc perueniendi est in Christo. Quod autem Aristoteles probat 1. de celo, quod extra caelum non est corpus, intelligendum est de corporibus in solis naturalibus constitutis: ut per probationes apparet.

li. i. de 69. r. 2.

Ad tertium dicendum, quod quamuis de natura corporis non sit, quod possit esse in eodem loco cum alio corpore: tamen potest hoc Deus facere per miraculum, quod in eodem loco possit esse simul cum alio corpore: sicut & fecit, ut corpus Christi de clauso utero Beatae Virginis exiret, & quod intrauit ianuis clausis ad discipulos: sicut dicit beatus Gregor. Corpus ergo Christi simul potest esse cum alio corpore in eodem loco, non ex proprietate corporis, sed per virtutem diuinam assistentem, & hoc operantem.

Ho 26. in uang no princ. a princ.

Ad quartum dicendum, quod nubes illa non prebuit admiculum Christo ascendenti per modum vehiculi: sed apparuit in signum diuinitatis, secundum quod gloria Dei Israel apparebat super tabernaculum in nube.

Ad quintum dicendum, quod corpus gloriosum, non habet ex principijs sue nature, quod possit in celo, aut supra caelum esse: sed habet hoc ex anima beata, ex qua recipit

gloriam. Et sicut motus gloriosi corporis sursum non est violentus: ita nec quies est violenta: unde nihil prohibet, eam esse sempiternam.

COMMENTARIUS.

Responso D. Thomæ est, Christum ascendisse super omnia caelestia corpora, ita ut totum Christi corpus sit extra superficiem vltimam, seu conuexam caeli empyrei, neque villo corpore contineatur, seu circumdetur. Ita enim ipse D. Thom. in sol. ad 2. exposuit, quæ in corpore docuerat (verrecte Caictan. notauit) de qua re postea differendum est.

ARTICVLVS V.

Utrum corpus Christi ascenderit super omnem creaturam spiritualem.



Ad primum sic proceditur. Videtur, quod corpus Christi non ascendit super omnem creaturam spiritualem. Eorum enim, quæ non dicuntur secundum vnã rationem, non potest conuenienter fieri comparatio. Sed locus non eadem ratione attribuitur corporibus, & spiritualibus creaturis, ut patet ex his, quæ dicta sunt in prima parte. Ergo videtur, quod non possit dici, corpus Christi ascendisse super omnem creaturam spiritualem.

Inf. q. 8. a. 3. eo & Ps. 8. fi. & Eph. 1. 16. 7. h. c. 4. l. c. 3. fin.

2. Præterea. August. dicit in lib. de Vera relig. quod omni corpori spiritus præferatur. Sed nobiliori rei sublimior debetur locus. Ergo videtur, quod Christus non ascendit super omnem spiritualem creaturam.

e. 55. aliq. d. nulli a p. r. 1.

3. Præterea. In omni loco est aliquod corpus, cum nihil sit vacuum in natura. Si ergo nullum corpus obtinet altiore locum, quam spiritus in ordinem naturalium corporum, nullus locus erit super omnem spiritualem creaturam. Non ergo corpus Christi potuit ascendere super omnem spiritualem creaturam.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 1. Constituit illum supra omnem principatum, & potestatem, & supra omne nomen, quod nominatur siue in hoc seculo, siue in futuro.

Respondeo dicendum, quod alicui rei debetur ratio altior locus, quanto est nobilior: siue debetur ei locus per modum contactus corporalis, sicut corporibus: siue per modum contactus spiritualis, sicut spiritualibus substantijs. Exinde enim spiritualibus substantijs debetur secundum quandam congruentiam locus caelestis, qui est supremus locorum, quia illa substantia sunt suprema in ordine substantiarum. Corpus autem Christi, licet considerando conditiones nature corporeæ sit infra spirituales substantias, considerando tamen dignitatem vnionis, qua est personaliter Deo coniunctum, excellit dignitatem omnium spiritualium substantiarum. Et ideo secundum prædictam congruentiam rationem debetur sibi locus altior ultra omnem creaturam etiam spiritualem. Vnde & Greg. dicit in homil. Ascensionis, quod qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur.

Ho 23. in u. uang in m.

Ad primum ergo dicendum, quod licet alia ratione attribuat locus corporali & spirituali substantia: tamen hoc est in vtraque ratione commune, quod digniori rei attribuitur superior locus.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de corpore Christi secundum conditionem nature corporeæ, non autem secundum rationem vnionis.

Ad tertium dicendum, quod comparatio ista potest attendi

*endi vel secundum rationem locorum: & sic nullus locus est tam altus, qui excedat dignitatem spiritualis substantiæ, secundum quod procedit obiectio. Vel secundum dignitatem eorum, quibus attribuitur locus: & sic corpori Christi deberit, ut sit supra spirituales creaturas.*

COMMENTARIUS.

**D**ifficile explicatu est, quid in hoc articulo D. Thom. docere voluerit. Nam si sit sermo de Ascensione super angelos, dignitate & maiestate, res hæc non pertinebat ad disputationem præsentem de locali & corporali Ascensione Christi. Neque enim Christus per hanc Ascensionem, illam dignitatem assequutus est: sed per unionem hypostaticam & beatitudinem. Si autem sermo sit de Ascensione super Angelos in situ locali, sic est difficilis comparatio, quia nullus est locus superior proprio loco sanctorum angelorum: ergo non potuit Christus ascendere super angelos. Quia hæc comparatio solum potest fieri ratione locorum, ut recte Caietanus notauit. Antecedens patet. Quia Angeli sunt in celo empyreo, qui est supremus locus, & in superficie extrema illius cæli non est vna pars altior alia, cum sit perfecte spherica. Respondet Caietanus, licet superficies conuexa illius cæli sit spherica, & hac ratione nulla pars sit altior altera respectu centri: posse tamen in ea superficie considerari quandam partem. v. g. orientalem diuinitus destinatam, ut sit veluti solum principis, & ille censetur locus supremus totius cæli, & alia, quod sunt illi magis, minusve propinqua, eo inferiora, vel superiora censentur. Vnde pro varietate meritum vnusquisque habebit proportionatum locum Christo propinquiorem, vel distantiorem. Et hoc modo facile intelligitur non solum Christum sed etiam B. Virginem superare omnes angelos in situ. Quia ipsi etiam consequentur huiusmodi locum non iuxta dignitatem naturæ, sed iuxta proportionem meritum. Quæ responsio est quidem ingeniosa, supponit tamen multa, quæ satis nobis incerta sunt. Primum, supremam illam partem cæli, quæ futura est beatorum locus, esse rotundam & nullam ibi esse planitiem, vel locorum inæqualitatem, secundum maiorem, vel minorem distantiam à centro terræ. Denique supponit, singulos beatos habituros loca fixa, & quasi immobilia singulorum meritis proportionata. Præterea hinc oriri potest difficultas, quomodo omnes homines habentes æqualia merita possint semper accipere loca æque digna. Tum quia loca æque distantia sunt finita, & ita fieri potest, ut non omnes æque beati in locis æque distantibus collocari possint. Tum etiam quia ad dignitatem loci non solum pertinet distantia: sed etiam situs, & ordo. Vnde vix possunt esse duo loca æque distantia, & dignitate omnino æqualia. Ad hæc, si corpora hominum ita sunt situ ordinanda in conuexo cæli, multa non poterunt per lineam rectam respicere in corpus Christi, præsertim si longe distent ab eo. Denique in substantiis angelicis non facile accommodatur huiusmodi situalis ordo. Quia sicut corpus Christi, & cætera beata corpora sunt, vel erunt extra conuexum cæli, & ad summum illud contingent plantis pedum: ita substantiæ angelorum secundum suam realem præsentiam esse poterunt extra ambitum cæli (nulla enim est ratio, ob quam necessarium sit substantias spirituales contineri intra cælum, cum corpora humana non contineantur) ergo, si iuxta proportionem meritum loca angelorum & hominum coordinanda sunt, oportebit vniciuique angelorum locum ad æquatum suæ substantiæ concedere, qui fortasse amplissimus est. Vnde cum sit innumera multitudo angelorum, & singuli iuxta va-

**A**rietatem eritorum inter homines collocandi sine, necessario fiet, ut & homines multi longissime distent in situ locali à corpore Christi, & inter ipsos homines interponantur magna spatia vacua corporibus interdum maiora, interdum minora pro angelorum varietate, ex quo non potest debitus ordo, & optima dispositio illorum firum, ac locorum resultare. Quare non videtur necessarium, substantias spirituales ad hunc situalem ordinem redigere. Præterea, si vnus sit supremus locus cæli à Deo designatus, infra quem omnes angelicæ substantiæ collocantur, antequam Christus homo illuc ascenderet, atque illum locum occuparet, quomodo coordinabantur loca angelorum beatorum in celo? Sciebant ne iam, quis nam esset ille locus, qui futurus erat thronus corporis Christi, & circa illum proprijs sedibus, ac locis constituebantur, in quibus perpetuo mansuri essent? Atque eodem modo percontari possumus, an prius quam homines cælos ascenderent, angeli haberent loca sua propinqua, & contigua: postea vero ascendentes hominibus, qui quosdam angelos meritis superent, alijs vero inferiores sint, secernantur loca angelorum hominibus interponendis, an vero à principio habuerint proprias sedes loco distinctas, vacuis manentibus intermedijs locis donec ab hominibus impleantur? Hæc omnia ostendunt, quod Isaias, & Paulus dixerunt. *Oculus non vidit Deum absque te, quæ præparasti diligentibus te*, non solum de spiritualibus bonis: sed etiam de corpore loci pulchritudine, magnitudine, ac situ vera esse.

**C** Quapropter arbitror, nihil in hac re esse temere asserendum, nec negandam cummunem conceptionem omnium, quod ille locus rotundus sit etiam quoad superficiem extremam cæli empyrei. Nā licet hoc ex motu colligi non possit, cum illud cælum immobile sit: tamen videtur consentaneum naturæ cælestis corporis, nec est cur aliquid nouum sine magno fundamento fingamus. Deinde non existimo sedes, vel loca beatorum ita esse fixa, & immobilia, ut neque ipsi ab eis moueri, neque ipsa ab alijs occupari possint. De angelis enim beatis scimus descendere, atque ascendere in cælum, homines vero, seu animæ regulariter non descendunt, quia non pertinet ad earum statum, vel ministerium: cur autem non possint in ipso cælo discurrere, & moueri, non video, & in superioribus ostendimus, corpora beata post resurrectionem posse mutare loca. Quod si interdum vnus beatus suum locum deserit, quid est cur non possit alius illum occupare, & Christo, vel alteri beato propinquus fieri?

**D** Tandem censeo (si qua est distinctio huiusmodi locorum in celo) eorum dignitatem magis consistere in quodam ordine, & habitudine, quā in situs altitudine. Interdum enim locus censetur dignissimus magis propter dignitatem eius, qui existit in loco, quam propter aliam loci eminentiam, atque hoc modo existimo locum Christi in celo esse eminentissimum non tam eminentia situs, quam dignitatis. Nā seclusa hac dignitate, quæ sumitur ex persona, vix potest intelligi, cur vnus locus dicatur altior etiam respectu. Quia sicut respectu loci Christi alij sunt inferiores: ita si ratio localis situs præcisè consideretur respectu vnus cuiusque, reliqui possint dici inferiores. Et hac ratione, quamuis Christus in celo mutaret interdum locum, semper locus ille erit supremus, & dignissimus, vbi ipse fuerit: reliqua vero loca eo erunt digniora, quod Christo propinquiora. Ipsi vero Beati, quāuis non semper sint in eisdem locis: tamen quo fuerint sanctiores, eo habebunt ius magis appropinquandi Christo, & ut alij ipsis cedat, quādo voluerint in proprijs locis, ac sedibus constitui. Atque ad hunc modum possunt reliqua excogitari, & hæc non sunt contraria iis, quæ D. Tho. & Caietanus docuerunt, sed eorum mentem magis explicant.

A R T I C.

Caietan.

Ordo situales locorum ac sedium pro calibus non necessarius.

Isai. 64. 2 Cor. 2.

Sedes, & loca beatorum in celo non sunt immobilia.